



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Iuramentum falsum semper est peccatum mortale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

incautelæ peccatum spectat. Non est autem ex suo peccatum mortale: quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi. Ex conditione verò personæ fragilis, mensuræ se tenetur qui fragilitatis propriæ conscius dubitat de calu. Et si experientia teste didicit se non subsistere in eiusmodi: sed statim aut quasi statim cadere, nulla necessitate vincatur ut illuc eat, aut ibi moretur. Scriptum est enim: Si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proice abs te. Si verò constantem se putat futurum, & necessitas eundi vrget, peccatum non video. Non urgente autē necessitate, peccatum est incautelæ (vt dictum est) maius vel minus iuxta conditiones singulares periculi vndique pensatas.

*Iuramentum falsum semper est  
peccatum mortale.*

**P**eriurium propriè (hoc est iuramentum falsum) peccatum est mortale, quia Deo inuocato in testem iniuria fit. Contingit autem incurrere periurium & in iuramento assertorio & in iuramento promissorio, & iuramento comminatorio. Ad quorum clariorem notitiam duas prænota distinctiones: alteram de formali vel materiali: alteram de perfecto vel imperfecto. Quæ distinctiones licet omnibus huiusmodi moralibus habendæ sint ante oculos: in peccatis tamen linguæ (de quorum numero est periurium) sunt multum necessaria. Discernendū est enim periurium si est ex intentione, quod vocatur formale: vt quum quis aduertit se falsum iurare, & vult falsum iurare. Et hoc semper est peccatum mortale. Aut si non intendit iurare falsum, & tan. iurat falsum, quod vocatur periuriū materialiter. Et rursus si periuriū ipsum exit ab homine vt actus perfectus

Et 2

(pura

(puta quia sciens & prudens periurat) quia sine dubio semper est mortale peccatum. Aut ut actus imperfectus (puta lapsu linguæ, aut aliàs inaduertenter seu ignoranter) nam periurium materialiter tantum, hoc est non ex animo iurandi falsum, non est peccatum mortale, quia non est periurium: quoniam nullus actus bonus vel malus est talis sine sua forma. Memento tamen hic & semper in similibus illius exceptionis: nisi actus redeat in naturam suæ formæ: quod in proposito contingeret, si quis non intendere iurare falsum, & tamen non curaret adhibere curam ne iuret falsum. Tunc enim talis iurans falsum, incurreret periurium mortale: quia propter talem negligentiam in tantare, rediret actus in naturam suæ formæ: conuincitur enim ille quod maluit incurrere periurium quàm discurrere ut debuit an iuret falsum.

Inchoando igitur à periurio, assertorio (hoc est iuramento mendaciter affirmante vel negante) scito omne homini periurium esse mortale in quacunque materia sit, quibuscunque verbis dicatur, & quacunque coactione, metu, ioco, leuitate, consuetudine, utilitate, aut excusatione fiat: quia Deo fit magna irreuerentia inducendo ipsum in testem quasi mendacem. Nulla admittitur in hoc excusatio nisi (ut dictum est) ex imperfectione actus: puta quia inaduertenter, vel ut primus motus: ex lapsu linguæ: & si quid est aliud redens actum imperfectum.

*Periurium promissorium duobus potest committi temporibus.*

**P**romissorium autem periurium duobus incurritur temporibus. Vel præsentem, quando fit: vel futuro quando non adimpletur. Et in præsentem quidem (hoc est quando iuramentum promissorium fit) incurritur.

CUR. LUG